



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmvla Casvvm Conscientiae De Sacramentis

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1611

Elegia In Svmmvlam Casvvm Conscientiæ Lvtheranæ Et Calvinianæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40295

ELEGIA
IN SVMMVLAM CASVVM CON-
SCIENTIÆ LVTHERANÆ ET CAL-
VINIANÆ.

*Ilion incesto cecidit sub iudice quondam,
Contemta Hectoreas cum dea vertit opes.
Astitit hinc Pallas, prisci soror inde Tonantis,
Obtinuit medium tertia Diua locum.
Quid Paris incipiat? Sua cui suffragia donet?
Ista quidem sapiens est, ait, ista potens.
At mihi prestantem promittit tertia formam,
Efficiunt partes nomina terna duas. (ptas,
Hinc Ratio inuitat, mentem trahit inde Volu-
Pars magè delectat, pars magis vna iuuat.
Quid faciã? Superat rationem saepe voluptas.
I tu, tuq; tuas restibi Pallas habe.
Tu cape poma, Paphi dea; nã, me iudice, vincis.
Sitq; dati merces vxor Achina mei.
Nec facies, nec mereliquarum iniuria terret,
Si subeat Phrygiam femina Græca domum.
Dixit, & iratas habuit pro munere diuas;
Iudicij fructus magna ruina fuit.
Pristina temporibus renouatur fabula nostris,
Nunc quoq; iudicium tale Lutherus habet.
Quisq; adhuc dubiis vult cõpromittere causis,
Ille suis Paridem rebus habere potest.*

Arbiter hic omnes tentat decidere lites,
Et facilis dubia regula legis erit.
Ambiguos animi nodos euinculat; Et cum
Se religare putat, Gordia vincula facit.
Pinguia cum crassos intrat mendacia lumbos,
Cuncta perinde ait, Et cuncta perinde negat.
Ac quoniam hereticos vincit plerumque Voluptas,
Plerumque, hoc Virtus iudice theta refert.
Exilio Verum, letho damnatur Honestum,
Inque suos dominos sceptrum Libido rapit.
Dementit Ratio, perdit Sapiencia lumen,
E stygio cæcus profilit amne Furor.
Paucirite vident homines sibi quid sit agendum
Ac trepidant dubio plurima corda metu.
Utque agitat fluctus bellantibus Hadria ventis,
Cum discordantes ripa coercet aquas:
Sic ferus in populis doctrina fluctuat æstus,
Quisque suum in tenebris vulnerat ipse caput.
Noctuat ad lucem (non est veniabilis error)
Qui poterat clarum semper habere diem.
Denique succumbunt misero mortalia casu:
Sola est consilij causa, Luthere, tui.
Hinc tua iure queunt CASVS oracula vocari,
Per que Mos, Pietas, omnia iura CADUNT.
SVM-